PROVINCIA SICILIA.

LXVIII. MESSANA.

1040*. 1041* Messanae in tabulario publico servatur servabaturve diploma hoc regis Gulielmi II:

I
W divina favente clemencia rex sicilie, ducatus apulie, et principatus capue, laude obtata fruimur cum benemeritis quae virtute lucrantur nostri favoris gratiam renovamus renovatamque stabilius confirmamus apud nostram itaque maiestatem comparentes sindici nobilis civitatis messane, nobis supplicuere, cum in thesauro scriptur(arum) eiusdem sint álique autentice scripture, dicte civitati a romano dominio tempore quo dominabatur indulte, quibus annotantur alique prerogative immunitates et excellencie dicte civitatis, que senectute causante deficiunt, antequam igitur evanescant dignaremur ipsas videre, discernique facere, per nostrum privilegium renovare ut nostra regia auctoritate munite vim posteris hec nostra renovacio claripendat, quam dicte originales autentice scripture dedissent; nos autem hac iusta postulacione commoti volumus ad ipsorum sindicorum rogamina ipsas propriis luminibus intueri, quas vidimus admiranda[m] vetustatem ipsarum meditantes, erant autem auctentice propriaque forma omni vicio et suspicione carentes, sed eo reputavimus illas validiores ac fide dignas, quo integre consistentes solo tactu deficere videbantur, ipsasque denique venerabilibus gualterio panormitano archiepiscopo, rainaldo barensi, et bartholomei [*sic*] agrigenti episcopis tradidimus revidendas, et eis imposuimus de verbo ad verbum in hoc privilegio nostro scribi facerent et fideliter annotari, quae fuerunt de verbo ad verbum nulla facta mutacione, diminucione vel additamento tenoris instantis.

1040* s. p. q. r. appio claudio quintoq. (*sic Gualt.*, q. *pro* quintoq. *reliqui*) fabio consulib. altero messanam sicilie ciuitatem classe profecto (prefecto *Alc. Ol.*) reserante percepit (praecepit *Alc. Ol.*) hyeronem siracusanorum regem penor. q. copias hyeroni coniunctas tam celeriter superatas ut appium claudium consulem ad hanc rem gerendam potius ciuitas sue uirtutis admiratorem quam belli susciperet adiutorem nam hyero (*sic Gualt.*, hyero *om. rel.*) rex peniq. urbis non tam multitudine quam animosa nobilitate propulsi uictos (prius *ins. Alc. Ol.*, *om. Gualt. Iuc.*) quam se didicere congressos qui ante consulis aduentum ultra leontinum (*sic Gualt.*, leontinium *rel.*) profugi pacem exposcentes romanor. gloria messanensium nobilitate propriaq. multa ducenta talenta herario soluendo (soluenda *Alc. Ol.*) suplices inpetrarunt ob quod statuit urbem ipsam titulo nobilitatis extolli aliisq. prouincie ciuitatib. sacerdotes eiusq. ciues romanor. honore (honoribus *Alc.*) sicilie caput illic fungi potestate romana lapides eius a leontinio usq. pathas (*sic Gualt.*, paechas *Iuc.*, patras *Ol.*, ad pretas *Alc.*) extendi nam id spacium ceteris deficientib. romane dicioni (dictioni *Ol.*) seruauit cirografum hoc (hoc *om. Alc.*) fastis romanis adiunctum laudem ciuitatis ostentans (ostentas *Ol.*) ascribi romanamq. gratitudinem merito respondere approbatum est presens decretum patrum a gn. calathino plebi tribuno (trib. pl. *Alc.*) post urbem conditam anno quatringentesimo octuagesimo tercio rem publicam primo bello punico conturbante (perturbante *Alc.*).

1041* s. p. q. r. seruio fuluio flacco p. calpurnio pisone consulib. urbem messanam a prouincie colonie tributi (tributis *Iuc.*) cuiuslibetq. (q *om. Iuc.*) uectigalis fixi mobilisq. pondere per omnia secula liberauit quia (qua *Gualt.*) dum siciliam (siciliae *Iuc.*) graue formidabileq. bellum seruile multitudine conspirantium (aspirantium *Gualt.*, conspirat *Ferr.*) instructis (instr. *om. Gualt.*) copiar. potencieq. magnitudine subiugasset quod prius (prius *om. Ferr.*) romanos pretores disperserat consules quoq. terruerat seruos messana sagaciter habitos pace mature frenatos quinimo (quinto *Gualt.*) p. (t. *Ferr.*) calpurnio consuli resignando lucem (luem *Gualt.*) siculis r. p. stimulos et a se futurum (profuturum *Iuc.*) conpar abstulit monumentum ut que se uili seruitute surripuit (eripuit *Iuc.*) preciosa libertate gauderet ex hoc enim presens cirografum fastis romanis adiunctum laudem ciuitatis ostentans decreuit ascribi ut gratiam meritis rom. circumspectio (circumspecio *Gualt.*) coequaret (coaquaret *Ferr.*) approbatum est hoc patrum decretum ab octauio tribuno plebis (*sic Gualt.*, pl. tribuno *rel.*) post urbem conditam an. (an. *om. Gualt.*) dcxx rem pub. bello seruili turbante.

Et nobis exinde supplicato ut contenta in autenticis scripturis eisdem predicte civitatis confirmaremus et largiremur nos autem considerantes ipsam civitatem a tempore tam remoto notabiles gratias easdem valuisse mereri quodque magnificis progenitoribus nostris nobisque talia propinarunt et quotidie prestant, ut hoc et maiori premio sublimetur, gratias et prerogativas easdem dicte civitati suisque civibus perpetuo confirmaremus nunc largimur et donamus, hec autem ut sunt a nobis civitati predicte confirmata concessaque ab omnibus heredibus et successoribus nostris ac subditis semper statuimus, et precipimus observare, et ad confirmationem perpetuumque robur permissorum hoc nostrum privilegium per manus alexandri nostri notarii scribi precipimus nostroque signaculo decorari, anno mense et indicione subscriptis.

in signo rotundo, specie literarum Gothicarum rufo colore



Datum in urbe panormi felici, per manum gualterii venerabilis panormitani archiepiscopi et mathei regii cancellarii et rainardi venerabilis siracusani et iohannis gayetani episcoporum domini regis familiarium anno dominice incarnacionis millesimo centesimo octuagesimo secundo mensis quarto madii quintedecime indicionis. Regni vero domini nostri I W dei gratia magnifici et gloriosissimi regis sicilie ducatus apulie et principatus capue, anno septimodecimo feliciter amen.

Ipsum diploma edidit Gualterus p. 103 ed. Mess. 'regium Wilhelmi II testimonium notavimus eruditissimis viris Placido Reina med. ac phil. d. et Fran. de Cara spectantibus et verba praeeuntibus . . . . probe et sincere, etiam exscriptorum mendis admissis'. Senatus consulta quae dicuntur in diplomate repetita multo ante innotuerant per Iucundum, qui habet utrumque cod. Ver. f. 188 praescribens 'Messanae'. Prius repetierunt Alciatus Feae f. 58 (inde Choler ms. f. 93'); Lilius cod. Guelf. f. 142'; codex Olivae f. 13'; Apianus 505, 1 (inde Grut. spur. 8, 1); Fabricius antiq. p. 51; Fazellus dec. I l. 2 p. 45 qui adnotat: 'penes Messanenses sit eius rei fides'; L. Alberti *descr. delle isole* ed. 1561 f. 41; Torremuzza XIX, 25 = 22 ex Grutero et aliis. Posterius exhibet Ferrarinus (praescribens 'Messanae in ornato lapide') cod. Reg. f. 100, cui aliunde constat schediasmatum quorundam Iucundianorum copiam fuisse (vide quae exposuit Henzenus in actis minoribus acad. Berol. a. 1868 p. 392), sumpseruntque deinde ex Ferrarino particulas Panvinius fast. ad a. 619 (inde Grut. 1083, 1) et Thevetus *cosmogr. univ.* (1575) 2 f. 50 (inde Grut. spur. 8, 3), integrum Muratorius 1815, 1 ex schedis Capponiis (vide vol. III p. XXV). Ab ipso Iucundo traxerunt Alciatus Feae f. 58' (inde Choler ms. f. 94); Lilius cod. Guelf. f. 143; codex Olivae f. 14; Apianus 505, 2 (inde Grut. spur. 8, 2); Fabricius antiq. p. 52; Fazellus dec. I l. 2 p. 46; L. Alberti *descr. delle isole* ed. 1561 f. 41'; Torremuzza XIX, 26 = 23.

Exhibui senatus consulta ad Gualterum potissimum, qui videtur diplomatis orthographiam servavisse, interposita varia lectione potiore Iucundi Ferrarini Alciati cod. Olivani. Ipsum diploma sincerum esse videri quaerenti mihi respondit Waitzius; similia a. 1182 et 1184 reperiri apud Ughellium Ital. sacr. (ed. 2) 8, 130. 257.

1042* Messanae.

maria uirgo ioachim f. dei humillima christi iesu crucifixi mater ex tribu iudae stirpe david messanensibus omnibus salutem et dei patris omnipotentis benedictionem
uos omnes fide magna legatos ac nuntios per publicum documentum ad nos misisse constat filium nostrum deigenitum deum et hominem esse fatemini et in caelum post suam resurrectionem ascendisse paulli apostoli electi praedicatione mediante uiam ueritatis agnoscentes ob quod uos et ipsam ciuitatem benedicimus cuius perpetuam protectricem nos esse uolumus anno filii nostri xxxxii indictione prima iii non. iunii luna xxuii feria u ex hierosolymis

Memoriae causa hoc quoque portentum adscripsi ex Gualtero p. 105. Reliquos editores non exquisivi.

1043* Messanae.

cereri frugif | sacrum | p. egnatius p. fil | galer. proculus | magister ui uir | augustalis pat|ronus messanen | iiii uir quinqunn (*sic*) | eT | praefectus fabr. nn | sua pecun. dedicau

Ligorius Taur. vol. 11 (inde Gudius 16, 1; Torremuzza I, 22 = 24).

1044* Messanae.

m. silius m. f. galeria | paitus u. c | leg. leg. iii Italiae p. fid | curator coll. fabr. mes|sanen. procos. prouinciæ | camaniae (*sic*) procos. siciliæ et | quaestor prou. africae | byzacenae com. palatinus | tribunus milit. leg. freten | legat. leg. i adiut. f. felic | iiii uir stlitibus iudicacan (*sic*) | patronus coll. fabr | ui uir aug. i. o. m. d. d

Ligorius Taur. 11 s. v. Messina (inde Gudius 10, 1; Torremuzza I, 4).

1045*, 1 *M. Caecilio Armentario Iulia Aphrodisia* cet. titulus adservatus Messanae in ecclesia cathedrali venit ex urbe Roma. Edidit eum Pogwisch *di una lap. trovata in un cimitero di Roma nel sepolcro di M. Cecilio Armentario, le cui reliquie ora si venerano a Messina* in fasc. II commentariorum suorum *disquisizioni archeologiche* Messinae 1843. 8.

2—6 item urbani sunt tituli quinque adservati olim Messanae apud Andream Gallum et ab eo cum Torremuzza communicati:

2 *d. m. s. defunctus est Canriolus* (in lapide teste Rossio est CAPREOLVS correctum ex CANEOLVS) *vixit annos IIII menses II dies III horas IIII pater* P X *fecit.* — Torremuzza XVII, 18 = 20. Gibert *catalogue du musée d'Aix* 1862 p. 98 n. 398. Descripsit Rossius Aquis Sextiis in museo publico, quo venit ex museo Saint-Vincent, et origine urbanam esse iudicavit.

3 *d. m. C. Cenicilio Ceiorino v. a. XIIX menses II d. XXII genius m. bianda ben. me. f.* — Torremuzza XIV, 28 = 32. Scammacca cod. Marucell. A 177 f. 143 inter titulos ex urbe translatos Cataniam in museum Benedictinorum.

4 *ossa Iuli Augusti l. Lochi Quintiliani.* — Torremuzza X, 28 = 31. Archetypum ex urbe translatum Panormum vide infra n. 1088*, 188.

5 *d. m. Memiae Romanae patronae b. m. Memmio Tlesimiano f. suo qui uxi* (sic) *ani. XXII.* — Torremuzza XIV, 71 = 84. Grut. 947, 2. Scammacca l. c. inter eosdem titulos.

6 *d. m. Pica et Ellesphorio* cet. — Scammacca l. c.; Torremuzza XIV, 95 = 109. Archetypum ex urbe translatum Panormum vide infra 1088*, 276; cf. 1089*, 166.